

**I**AM nisi fallor bona pars horum expedita est: quid enim agunt alij aruspices, nisi circa interpretationem mirabiliter contraque naturam, vt ipsi volunt contingentium, ex quibus venturi præsciam pollicentur? Quod enim (vt eleganter ait Cicero) ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia, à maioribus dicta sunt, multisque verbis vna res appellata, cui nos vnicum portenti nomen ascripsimus, pauca deinceps, sine aruspices interpretationibus complexuri, quæ restant ex historiis. De quibus in primis hic tenendum, nihil contra naturam fieri, licet aliqua videantur ignorantibus causas rerum & nouitate perculsis: itaque verè, & si quod est, hic esse permaximum, quod in animis hominum, tam benè institutis à natura, tam varij errores pullularunt, & in Regno rationis, tot aniles ineptiæ, & tot inanes superstitiones regnant, vltimumque illic ipsa locum tenet, per quam distingui à cæteris animalibus poteramus. Verum hic longior est querela, egensque verborum plurium. Igitur ad inceptum rediens, quicquid factum est